



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

12. Septembris. Si quis populari commercio Principes, & Magistratus  
particulatim reprehendit, plus damni & scadali generat, quàm ponat  
remedii. S. Ignat. apud Ribad. l. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)



Si homini promissa cadunt in debitum, tantò amplius crescit obligatio, quantò dignior est, cui quidpiam spondisti. Displicet Deo tarda, & inconsulta promissio, vel omitte vota, vel imple.

12. Septembris.

*Si quis in populari commercio Principes, & Magistratus particulatim reprehendit, plus damni, & scandali generat, quam ponat remedii. S. Ignat. apud Ribadils.*

**P**Opulus naturâ suâ Magistratibus parum est affectus, suspicionibus agitur, quibus si oleum affundas, quid, nisi commune incendium timere possis? quod populari nullum periculosius, nec oritur illum faciliùs, nec ullum ægriùs sopitur.

Sputum, quod in cœlum jacitur, recidit in faciem jacentis. Inconsulta in eos mittitur censura, quorum, ut longæ sunt ad audiendum aures, ita graves ad feriendum manus. Potentes ægrè se tangi sinunt impunè.

Quis te Judicem constituit? Sutor malè ultra crepidam fert sententiam. Sape judicamus, quæ nescimus. In edito posita plura vident: si nos rerum causas cognoscere.



sceremus, quantum judicia nostra damna-  
remus!

Calumniari in nullum licet, minimè in  
Magistratus. Reverentia illis debetur, &  
obsequium. Dei vices in terris agunt. Sta-  
tuta, & leges, non ut ab iis, sed ut à Deo la-  
tæ, sunt habendæ.

### 13. Septembris.

*Agenda prævidere, & acta in censuram vos  
care, sunt fidissima rectè agendi regula.*

S. Ignat. apud Martinium.

**B**lfrons Janus rectè agendi, ut symbo-  
lum tibi est, ita sit & regula; futura  
prævidere, præterita revidere ut consue-  
scas; ex præteritis futura designentur, &  
ex futuris præterita emendentur.

Fecisse non est satis. Quomodo quid fa-  
ctum sit? revocandum ad examen. Nullus  
certior est magister usu. Idea faciliat opus,  
quod præ manibus habes, illam si respicis,  
ex amussi rem conficies.

Impetus nihil rectè facit, & si quid aptè  
videtur factum, casus est, non prudentia;  
properare, & errare affinia sunt. Nemo  
tam sapiens, qui ante opus prævidere mo-  
dum, media, finem, non debeat.

Nec